

Johann Fecht Ernst Jacob Dages


**De Iudice Controversiarum Fidei, Theses Theologicae, Mart. Becani, Iesuitae
Manuali Controv. lib. I. cap. V. oppositae**

Durlaci: Müller, 1684

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787862045>

Druck Freier  Zugang





In Tomo hoc XXXVII. Sunt

1. Jo. Schmid de Peccato. ad 1 Jo. III, 4.
2. — De libero Arbitrio. Jo. VIII, 36.
3. Seb. Schmid de script. S. ad 2 Pet. I, 19. 20. 21.
4. D. Damhaueri Aethica Sancta sui vindic.
5. Jo. Faust protri. de motione divina ad Act. XVIII, 28.
6. D. Georgij Heberlini fascic. hymna. Cant. I, 13.
7. Andreas Vivinius ad Psalmum II.
8. Jo. Schmid de Vita Aeterna.
9. Christiani Hef. Manipulus Thestii Praxiani Sub B.
Sugemamo propositarū.
10. D. Martin Gejeri conformitas Iudaeo Papistica in
Doctrina de Deo Angelic & Homine.
11. Christoph Laur. Meelführer p. tri. de Chriatomo.
12. Jo. Andr. Quenstedt de Persequutione Venerabil.
13. Gabrielis Wedderkopp de Atheismo Sconianom.
14. Michael Foerisch de Legum naturalium origine.
15. —. De ordine script. S. prout ea tum. Nat. conve-
niunt de. 8.
16. & Jo. Fecht de Iudae Controversiarum.
16. a. —. de Trinitate.
16. b. —. De Ant. Christo.
17. —. De Juratone Sanctorum.
18. —. De Iuramento.
19. —. De Communione Sub utraque

20. D. Jo. Feshi de Missa.
 21. —. De sacramentis.
 21. —. De vocatione Ministrorum Ecclesie.
 22. —. De Celibatu eorundem.
 23. —. De Peccato.
 24. Hoornbeef de Theologie Praxi.
 25. —. Sans postendr.
 26. —. de Tentatione Dei.
 27. —. De Autoritate N. Test.
 28. —. De Pietate.
 29. —. De Devotione.
 30. —. De meditatione Sacra.
 31 } —. De Studio verbi divini.
 32 } —. —. —. —.
 33. —. De sensu divina gratia.
 34. —. De Fiducia in Deo.
 35. —. De Gaudio Spirituali.
 36. —. De zelo.
 37. —. De Christo.
 38. —. De Ascensione Christi.
 39. —. De gloria Christi celesti.
 40. —. De Spiritu S.
 41 } —. De Providentia.
 42 } —. —. —.

42. } Floornbeck de Predestinationes.
 43. }
 44. }
 44. b. —. De Sabbatho.
 45. —. De Ministerii acceptiones.
 46. —. De Examine Ministrorum.
 47. —. De eorum officio.
 48. }
 49. }
 50. } —. De Ecclesiasticorum Vita.
 51. }
 52. }
 53. —. De Foedere Ecclesiastico.
 54. —. De Mundo.
 55. —. Ad Matt. xxiii, 37. —
 56. —. —. xl, 20. 21.
 57. Jos. Cocceji de divinitate Script.
 58. } —. de Perfectione Script.
 59. }
 60. } —. de Foedere gratie et Vet. ac NT.
 61. }
 62. } —. de eo quod Icy est.
 63. }
 64. —. De statu Humiliationis Christi.

65. Jo. Coaeji de Regeneratione et Resurrectione.
66. —. De Oblatione Christi.
67. Westeniij. De unione Personali in Christo Forma,
 Tunc Efficitur. etc.
68. — Lucia Gernteri de Forma Unionis Personali
 in Christo.
69. —. De Prophetia Dei.
70. —. De Peccato in Spiritum S.
71. Westeniij de Praedest. Bonorum et malorum.
72. —. Gius et Collegam Syllabus Controversiarum

V.

16. C.

DE
JUDICE CONTRO-
VERSIARUM FIDEI,

THESES THEOLOGICAE,

MART. BECANI, JESUITÆ
Manuali Controv. lib. I. cap. V. oppositæ;

Quas ex publicis Praelectionibus

V I R I

Maximè Reverendi, Amplissimi, Excellentissimique

DOMINI

JOANNIS FECHTII,

SS. THEOL. LIC. SEREN. PRINC. MARCH. BAD.
CONSIL. ECCLES. ET CONC. AUL. ILLUSTR.
GYMNASII PROFESS. PUBL.

*Patroni & Præceptoris sui, immortalivene-
ratione & cultu suspiciendi,*

excerpsit, atque in SOLENNI congressu

Eodem PRÆSIDE

defendendas proposuit

ERNESTUS JACOBUS DAGES,

Pforzheimensis.

Ad d. xi. Octobr. horis pomeridianis MDC LXXXIV.

DURLACI, Literis MARTINI MULLERI.

45
46
43
20
1
27
18
30
7
14

VIRIS

*Generosissimo, Nobilissimis, Amplissimis, Perquam
Reverendo, Excellentissimis, Prudentissimis & Spectatissimis,*

BENEFICIORUM PFORZHEIMIENSIIUM
CURATORIBUS & DISPENSATORIBUS,
DOMINIS,

PHILIPPO JACOBO à BOZHEIM, Praefecto Supremo.
ERHARDO KIEFFERO, Consil. Camer. & Praefecto.
MATTHÆO KUMMERO, Spec. Superint. & Pastori.
CHRISTIANO GÖTZIO, J. U. Lic. & Reip. Patriæ
Archigrammateo.

MARTINO ZOLLERO, Consuli Regenti.
JOH. JAC. DEIMLING, Consulari.

Totique ORDINI SENATORIO,

*Dominis, Patronis & Evergetis
suis, immortalis cultu venerandis,*

Exercitium hoc Disputatorium

In grati animi pignus, dicat, dedicat, donat

civis devotus & supplex

Ernestus Jacobus Dages.



DE

JUDICE CONTROVERSIARUM THESES.

I.

Judicis Vocabulum, absolutè & propriè acceptum, personam Politicam notat, lites forenses atque civiles audientem, cognoscentem & secundum leges dijudicantem. Atque id, sive supremus sit judex, sive qui à supremo potestatem accepit, præciso animorum assensu. Nec enim ab eo obsequium imperatur sub ratione veri, ut is, contra quem pronunciatum est, credere teneatur, rectè atque verè pronunciatum esse, quantumlibet apud animum suum convictus sit, rem aliter sese habere, sed sub ratione justæ, nec hujus semper verè, sed præsumptivè, ut usitato hic termino utamur, & validè atque ita, ut necesse sit, latæ sententiæ acquiescere, & in partem litigantem, nisi pareat, possit animadverti.

II.

Per analogiam verò & similitudinem quandam vox Judicis personis quibuslibet aliis, extra civiles disceptationes positæ, adaptatur, cum controversias, sub ratione veri & falsi, vel boni & mali spectatas, audiunt, cognoscunt, deque iis ex principiis, cuilibet argumento propriis, judicium ferunt. Ut cum Collegium Medicum vel Philosophicum controversiam quandam, de qua duo inter se litigant, ad se delatam, decidit. Quo casu, qui causa cecidit, subijcere sese sententiæ ex compromisso tenetur, quanquam utique fieri possit, ut in ferendo judicio Collegia erraverint.

III.

Cum itaque quæritur, an aliquis detur controversiarum Theologicarum, ex diverso Scripturæ S. sensu enatarum, judex

A 2

talis,

talis, cujus sententiæ, ut ratione veri & falsi infallibili, & validè obliganti, simpliciter sit acquiescendum? id idè rectè negatur, quia talis judex nec in S. Scriptura ullibi nobis commendatur, neq; in foro etiam civili, ubi tamen obligatio circa latam sententiam omnium maxima est, reperitur; in materia verò, circa verum & falsum versante, ejusmodi judices gentium omnium consensus excludit. Nam exortis circa jus civile Romanum controversiis, nec Imperator ipse citra periculum falsi enunciare potest, quæ indubia fuerit veterum Legislatorum, circa thema, de quo litigatur, sententia, quantumvis Imperatoriæ decisionis tantus sit valor, ut ei sub extremi supplicii pœna sit acquiescendum. Idem longè magis evenire circa controversias Medicas, Morales, Physicas, Mathematicas, aliasque, indubitatum est.

IV.

Martinus Becanus, Jesuita, Lib. I. Manual. cap. V. §. 3. *Catholici, inquit, docent, Ecclesiam esse Judicem Controversiarum; sententiam verò dupliciter pronunciare, vel per Pontificem, vel per Concilia, à Pontifice approbata, & utroque modo sententiam esse infallibilem.*

V.

Id verò dum probare instituit, in plerisque argumentis vel Judicem civilem cum dogmatico, si ita loqui fas est, vel sententiæ valorem cum infallibili ejus vel veritate vel iustitia manifestè confundit. Quod nunc speciatim quidem, sed intra summam breviter, demonstrabimus.

VI.

Ad Argumentum quartum, (id enim primum est, quò probat, Pontifici Romano officium competere, infallibiliter de controversiis judicandi) à forma dirimendarum per Concilium vel Sacerdotem Summum controversiarum religionis V. T. peritum, cui conformis esse debeat modus finiendi lites sacras in N. T. facile responderetur, concedi utique, controversias fidei in N. T. oborientes, à summis quarumlibet Ecclesiarum vel Conciliis vel Episcopis, perinde ut in V. T. in Judæa à Judaicæ Ecclesiæ Pontifice, ita validè decidi, ut in illâ Ecclesiâ, in quâ fit decisio, sententiæ ultimò pronunciatæ nemo vi reluctari debeat.

Ex

Ex quo tamen perinde non sequitur, infallibilem quoad veritatem judicari oportere eam sententiam, ac non sequitur: regem V. T. ultimò & validè pronunciaſſe de controverſiis civilibus, itaque errare non potuiſſe. Quà ſolâ instantiâ argumenta omnia, à Becano pro infallibilitate judicii Sacerdotis maximi adducta, efficaciffimè retunduntur.

VII.

Quamquam in eodem argumento multa aliâ concurrant vitia. Falsâ major est, quia V. T. Pontifices vel informabantur immediatè à Spiritu ſancto, vel poterant certè, ubi volebant, infallibili ejus ductu de controverſiis edoceri, quod nemo ſibi in N. T. arrogavit unquam. Falsâ minor est, quod controverſiæ V. T. fuerint infallibiliter à Pontificibus ſummis deciſæ. Nec enim hoc ullibi aſſeritur, & contrarium exemplis pateſcit. Quî enim in facto poterant errare, & reape errarunt, concedente *Becano*, eos & in jure errare potuiſſe quid prohibet? Cum non errandi privilegium non magis in hoc, quàm in illo, nec minus in illo, quàm in hoc, Sacerdoti ſummo ullibi attribuitur.

VIII.

Argumentum quoque *Becani* quintum: eo pacto controverſias decidi hodie debere, quo in puriore veteri Eccleſia fuerunt deciſæ, nempe à Conciliis, Præſide Pontifice; eodem proſus modo ſolvitur. Nec enim quiſquam veterum Conciliorum decretis errandi immunitatem abſolutam, de quâ tamen in ſolidum hic quæſtio est, unquam adſcripſit.

IX.

Quam cum his atque ſimilibus rationibus fulcire annitur *Becanus*: quicquid est ſupra petram fundatum, id errare nequit: quicquid est firmamentum veritatis, id errare nequit: quicquid non confunditur, neque erubescit, id errare nequit; meras ἀσολογισίας neſcit, cum omnes illæ proſitiones, quippe involuto certo ordine atque conditione intelligendæ, perpetuam patientur instantiam, à ſingulis fidelibus, de quibus iſthæc, & nonnunquam majora, præcipue Rom. IX. 35. ſeqq. enunciantur; & tamen in multis impingimus omnes, Jac. III, 2.

A 3

X. Jam

X.

Jam Argumentum Becani ultimum: quâ ratione controversiæ civiles componuntur, eadem & sacras componi debere, cum analogia quæpiam inter Remp. civilem atque Ecclesiasticam ubiq; prædicetur; at illas componi ab eo, qui imperio gaudet: iisdem omninò vitiis scætet. Nam nec in omnibus inter Remp. & Ecclesiasticam similitudo intercedit, cum in plurimis discrepent, dicente Christo: *regnum meum non est de hoc mundo*, nec Ecclesiæ alius rector summus est, quam qui & in civilibus eidem præsidet; nec qui majestate in Rep. gaudent, infallibile de rebus, in litem venientibus, judicium ferunt: ut supra fuit ostensum.

XI.

Quanquam verò in controversiis Theologicis non sit, qualis in civilibus, judex, qui, quid verum sit, autoritate vim cogendi habente, ex tribunali definiat, & hominibus imperio, ut ibi obsequium, ita hic assensum extorqueat: judicis tamen axioma, etiam Scripturæ phrasi, per translationem quandam ad eos extenditur, qui propositionem mentis, cui assensus præberi debet, è legitimis principiis evidenter deducunt, alterumque convincunt, adeoque veritatem, quæ in dubium vocabatur, recipere quasi compellunt, & causam obtinent. Quo sensu Ecclesiam vel universam, vel in Conciliis repræsentatam, itemque Ecclesiæ Episcopos & Doctores, imò quoslibet, etiam è plebe, alios, scientiæ ac *divinatoris* spiritu præditos, de controversiis fidei judicare posse nihil repugnat. I. Cor. X. 15.

XII.

Omniùm autem maximè istud judicis controversiarum fidei axioma in Scripturam competit, partim quia illa, quæ credenda & agenda sunt, jam olim disertè decidit, sententiamque de obortis circa religionem controversiis non minore vel perspicuitate vel virtute dixit, quàm cum Pontifices Decreta sua condiderunt, quæ idè, quod in literas relata sunt (quod majori jure de Scriptura affirmatur) res judicatæ, seu sententiæ judicis esse non desinunt; partim quia ad cætera, quæ in credendis, faciendisve oboriuntur, dubia, principia subministrat, è quibus, applicatis
legitimis

legitimis mediis, veritas facile erui & ob oculos poni possit; partim denique, quia Spiritus S. homini, Scripturam recto ordine legenti, gratia sua ita præstò est, ut intellectum fortius quovis iudice externo atque visibili ad assensum moveat, & quasi compellat.

XIII.

Hæc Scripturæ insita dignitas inde probatur, quia ad eam solam, non ad alium extra eam iudicem, nisi in quantum hic secundum Scripturam pronuncietur, provocare iussi sumus. Ef. IIX, 20. Quia ad eandem à Christo ipso, non ad alium iudicem, nisi quâ ille consentanea Scripturæ diceret, semper sumus ablegati. Joh. V, 39. Quia qui Scripturæ iudicium, adhibitis genuinis mediis, ipsi perscrutati sunt, nec alium iudicem consuluerunt, à Spiritu DEI impense laudati fuerunt. Act. XVII, II. Quia denique sola Scriptura, non alius ullus iudex, nisi quando & in quantum is dirigente Spiritu S. Scripturæ ductum sequitur, (quo tamen ipso, quia per media dirigit Spiritus S. errare absolute potest) ab erroris formidine immunis est. Rom. III, 4. Quorum dictorum nativa virtus contortis Becani glossis nunquam potest elidi.

XIV.

Multò minus argumenta, à Jesuita nobis opposita, Scripturam de maiestate iudiciali deturbant. Nam primum ex officio iudicis deductum, qui ita debet pronunciare sententiam, ut uterq; litigantium clarè intelligat, quis obtinuerit, quis causâ ceciderit, nihil aliud concludit, quàm Scripturam non esse iudicem civilem, qui sententiam ferat, cum vi cogendi externâ conjunctam, quod facile concedimus. Quo tamen non obstante Scripturæ vis competet, intellectum de sensu rerum Divinarum, de quibus disceptatur, informandi & convincendi, non minor, ac corpori Juris civilis, è quo Icti rerum dubiarum veritatem immotis argumentis demonstrant; immò hoc major, quia efficacia Spiritus in Scriptura latentis quolibet verbo alio infinities superior atque vehementior est. Hebr. IV, 12. 13.

XV. Secun-

Secundum Argumentum, à literâ Scripturæ, sensuq; petitur, qui quia variis sit interpretationibus obnoxius, judicem alium requirat, qui indubiam sensus veritatem commonstret; unâ cum Scripturâ & legum civilium atque provincialium Decreta, & Juris Canonici sanctiones, & universa rectæ rationis dictata, in Medicina atque Philosophiâ, imò ipsas à Pontifice latas sententias, quippe quæ omnia variis interpretationibus in partes sæpe discernuntur, è judicandi folio præcipitat. Nempe quemadmodum, oborto de loco quopiam Aristotelico certamine, non ad Philosophorum quendam Papam, pro tribunali sedentem, sensumque loco infallibili autoritate inferentem, sed ad media Hermeneutica, per quæ sensus, in verbis controversis delitescens, extrahatur & sistatur in apricum, recurritur: ita & in controversiis Theologicis sensus veritas non à Dictatore externo Scripturæ inditur, sed qui in Scripturis abditus antea latuit, interpretandi præsidii educitur, & adversarius per vim argumentorum *ἀντιγράφους* quasi in *judicio convictus* redditur. Tit, III, 10.


XVI.


Tertium denique argumentum ab insufficientia atque imperfectione Scripturæ petitur, partim Scripturæ ipsi adversum est, quæ perfectionem sui ipsius in ordine ad assequendam salutem disertè prædicat. II. Tim. III. 16. 17. partim principium petit, dum controversiæ, à Becano exempli loco adductæ, quæcunque de fide sunt, (quæ enim ad ritus atque historias pertinent, earum cognitionem aliunde dependere, absurdum non est) ex Scriptura utique possunt decidi, ut vel ex Romanæ Ecclesiæ Doctoribus ii agnoscunt, qui pro dijudicandis quæstionibus illis testimonia Scripturæ allegarunt, atque pertractarunt.


XVII.


Concludimus itaque: & Romanum Pontificem non esse controversiarum judicem infallibilem; & solam Scripturam esse controversiarum judicem infallibilem.


Tantum.

















BONIS OPERIBUS.

63

es sint meritoriae benedictionis, aut satisfactio-
nis? N. contra *Pontific.*

obandae sint Pontificiorum preces in suis Li-
bro deproperata *Officii*, quod vocant, recitatio-
nes, quas vocant, *Canonica* probari queant? N.

Vota, seu actus quidam Religionis, etiam de *De Posit.*
sed licitis & voti possibili-
bus, licita sint
voto? A. contra calum. *Pontific.*

etiam res praecipuae & necessariae cadant sub
voti alia pie concipiantur, ut, praeter praecipuum,
arctius ad officium adstringamur? A. con-

tere possint, qui sui non sunt juris: adeoque
et minores, & sub patriae potestate con-
tinentibus; item conjugum alter, reclamante
sibi monasteria? N. contra *Pontific.*

Vota Deo soli sint nuncupanda, exclusis
aliis in genere, tum Archimandritis & Cae-
teris? N. contra *Pontific.*

Vota Pontificiorum monastica, uti 1. *Votum*
paupertatem & indigentiam, vel propriam &
alienam, vel propriam saltem; 2. *Votum Obedientiae*,
in regularem, hominibus illimitate & ave-
re, in motu, praestandam; 3. *Votum Continentiae*,
in nuptiis abstinentiam Deo pollicentur reli-
giosa conformia & legitima sint? N. contra *Pon-*

An Jejunium religiosum, in se consideratum, *De Jejunio.*
abstinetiam a cibo, sit vel opus moraliter bonum &
satis utile, ad expianda peccata ordinatum;
tantum bonorum operum, ad contestandam
carneis concupiscentiam, edomandam carnem, & exci-
piendam ardorem ordinatum? N. prius: A. poster.

XXIX. An